

autem in posterum non posse, satis ostendunt verba Caeremonialis, quae leguntur lib. 2 cap. 36, et quisque, si attente consideret, id sibi facile persuadere poterit. Quod autem in dubio additur, ad hanc aliquo modo protuendam omissionem, quod nempe sic factum omni tempore fuerit, et a quibusdam putetur congruos census ad hoc Anniversarium celebrandum ab Episcopis relinqui oportere, si hoc post mortem vellent anniversarium celebrari, et id quia illorum aliqui dictos census reliquerunt, haud sane omissioni potest suffragari. Si loquamur de Anniversario perpetuo, facile concedimus; quia Caeremoniale non de omnibus Episcopis disponit, et tunc si celebranda sint perpetuo Anniversaria, census pro perpetua celebratione sunt relinquendi. Ast hinc non est de his sermo, sed de Anniversario *ultimi* Episcopi defuncti. Quando de hoc agitur, Caeremoniale Episcoporum nihil de censu relinquendo innuit, sed absolute celebrandum Anniversarium edicit, quod quidem praeceptum importat, et ab omnibus ubique et semper servari debet, et revera servatur. Plura hic addere supervacaneum est, et legi poterunt, quae in *Tiburina* apposite ad rem adnotantur.

5) Fundatio.

Haeredes et executores testamentarii cogi non possunt, ut pro cadaveribus, quae tumulantur in Ecclesiis Regularium, in Ecclesiis parochialibus celebrari etiam faciant Anniversaria, prout celebrantur in Ecclesiis Regularium, in quibus sepeliuntur. n. 933 ad 2 die 22. Apr. 1633. Idem decretum est. n. 992 die 19. Nov. 1633.

6) Generale Confrat. Ordinis.

Cf. *Commemorat. omnium fidel. † Confr. Ordinis.*

Anniversarium Ordinis, quod gene-

ralissimum dicitur, celebrari posse, quamvis fiat Officium dupl. minus juxta peculiare rubricas Breviarii Ordinis Minorum. n. 214, 219 et 222. n. 4549 ad 3 die 25. Aug. 1818.

NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM:

Venio ad Anniversar. generalissimum, quod ex peculiari Franciscanorum *rubrica num. 215* fieri debet post Festum Sanctorum trium Ordinum, die item proxime non impedita. Hoc autem celebrari poterit, etiamsi occurrat Festum ritus dupl. min. cum in altera *rubrica num. 219* dies impediti enumerentur festivi de praecepto, aut in quibus expositum est Augustissimum Sacramentum, aut occurrunt Festa ritus dupl. maj. vel altioris. Ita etiam declaratum video ab hac S. C. in *Einsidlen. 5. Maji 1736*. Et jure id quidem. Nam Anniversarium, in quo fit commemoratio sollemnis omnium defunctorum alicujus regularis Instituti per Christianum Orbem extensi, aequiparatur solemnitati commemorationis omnium fidelium, iisdemque gaudet privilegiis, uti colligitur ex Decreto supra laudato, dummodo tamen certa habeatur assignata dies, ut in more est apud Franciscanos, qui hanc commemorationem facere tenentur post Festum omnium Sanctorum Ordinis, nisi occurrat aut Festum de praecepto aut Officium dupl. I., vel II. cl., aut etiam ritus dupl. maj. Et revera si commemoratio omnium fidelium def., quae communis est omnibus Ecclesiis, gaudet indulto, ut de ea fiat, etiamsi habeatur Festum ritus dupl. min., vel occurrens, vel translatum, cur nequibit eodem frui commemoratio defunctorum alicujus Ordinis regularis, quae non minus celebris est respective ad eisdem Ordinis Ecclesias, in quibus eadem statuta die peragi debet?

Altera hic quaestio fieri potuisset, nimirum: *an, si fiat ea die Officium*

fest. rit. dupl. min. vel occurrentis, vel translati, missae privatae celebrari debeant de festo vel de requiem? Dubium solvit praefatum decretum in *Einsidl.*, in quo legitur: *Omnes missae priv. dicuntur pro def. in paramentis nigris; Cavalerius* tamen oper. tom. 3. c. 7. decr. 2. n. 2. Dubium excitat: *an item Missae privatae de Requiem dici debeant, aut possint si pro Anniversario non applicentur?* Et in negativam propendit sententiam: *Quia privilegium in gratiam defunctorum, de quibus commemoratio sollemnis agitur, et in uberius eorundem suffragium, quo Missae de requiem pro iis de Festo gaudere creduntur, praecipue factum extitit.* Huic opinioni adhaerendum non esse videtur; ex ea namque sequeretur, quod minime posset in Ecclesiis Regularium, ubi fit generalis isthaec commemoratio, si incidat cum Festo ritus dupl. min., dici Missa *de requiem* pro defuncto in particulari, sed possit dumtaxat, si applicetur generatim pro omnibus; contra ac statuit S. C. quoad commemorationem omnium Fidelium defunctorum in una *Dalmatiarum 4. Aug. 1663, Ordinis Capucinatorum 15. Febr. 1710, et in Aqnen. 2. Sept. 1741*. Errat autem, aut non clare se explicat Scriptor caeteroqui doctissimus, addens: *Idem iudicium facito de commemoratione omnium Fidelium defunctorum, ita ut, occurrente Festo dupl. min., solum illae Missae de requiem dici queant, quae pro defunctis generatim applicari debent.* Illud enim generatim cum accipi possit de applicatione indistincte pro omnibus, indiget declaratione, videlicet: quod juxta Decretorum sensum omnes Missae privatae celebrari debeant *de requiem*; et quod applicari nequeant, nisi pro defunctis, vel in genere pro omnibus, vel in specie pro uno alterove. Pari modo eadem regula sequenda est in com-

memoratione generalissima defunctorum alicujus Ordinis regularis, ita ut in Ecclesiis, in quibus haec fit commemoratio, aliae privatae Missae celebrandae non sint, nisi *de requiem* pro defunctis cum libera applicatione pro omnibus, vel pro aliquo defuncto in specie; etiam si is non pertineat ad illud institutum, pro cujus Alumnis fit commemoratio. Quamobrem si quis ea die, in qua generalissimum hoc fit Anniversarium, velit, aut teneatur legere Missam occurrenti Officio convenientem, id facere nequibit ea in Ecclesia, in qua omnes privatae esse debent *de requiem*, sed poterit alia in Ecclesia suae devotioni, aut oneri satisfacere.

7) Obligatio ex parte haeredum.

Vd. *Missae de Req.* (Novendalia; decr. n. 983).

8) Officium.

Vd. *Officium defunct.* (Omissio.)

9) In Oratoriis.

Vd. *Orator.* (missa); *Anniversar.* (dies ad libitum, decr. n. 4116.)

Non posse Cappellanos Confraternitatum in Oratoriis publicis missas def. in anniversario Confratrum pro legatis piis cantare. n. 3451 die 14. Decembris 1697.

Non licet Confratribus sacco indutis celebrare mediante eorum Cappellano Anniversaria, quae cum missis sol. sive minus sol. celebrari solent in eorum Oratorio. n. 3832 ad 4 die 22. Nov. 1710.

Ad dubium: an liceat Confraternitati S. Rosarii Burgi celebrare in Oratorio Anniversaria et Officia tam fixa seu ex obligatione, quam etiam manualia cum assistentia aliorum Sacerdotum sine assistentia parochi? S. C. resp.: Affirmative. n. 3910 ad 11 die 9. Julii 1718.

10) Pontificis M. defuncti.

(Missa.)

In quadam Cathedrali in Anniversario SS. Pontificis cantatur tertia Missa in Ordine cum Oratione: *Deus indulgentiar. Domine etc.* Quaeritur: an dicta missa et Oratio legi possit? S. C. resp.: Negative et dicendam primam missam cum oratione: *Deus, qui inter summos Sacerdotes etc.* n. 4536 ad 13 die 4. Junii 1817.

NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM:

Ad reprobandum morem, de quo in eodem dubio, satis esset auctoritas Scriptorum de re liturgica, quos inter Gavantus ad Rubricas Missalis parte 4. tit. 17 num. 6 haec habet: „In die Depositionis, et Anniversario Summi Pontificis dicitur prima Missa, quia, quae raro adhibentur, pretiosa reputantur, neque quotidiana vilescent consuetudine.“ Amalar. lib. 3 cap. 40: Et ideo Missa semel in anno constituta in Commemoratione omnium fidelium defunctorum dici jubetur in exequiis Summi Pontificis, et Episcoporum: Et Meratus ad hunc locum: Dicitur Missa, prout describitur a Gavanto supra cum Oratione: *Deus, qui inter Summos Sacerdotes etc.* illa nempe, quae est prima inter Orationes diversas pro defunctis cum sua Secreta, et Postcommunio. Quid tam interest ad Scriptorum auctoritatem confugere, dum clara est, nec indiget interpretatione rubricarum regula? In illa, quae praemittitur Orationibus diversis pro defunctis, ita legitur: In die Depositionis, et Anniversario Summi Pontificis dicitur prima Missa, praeter Orationes, quae dicuntur ut infra: *Deus, qui inter Summos Sacerdotes, etc.* Cum igitur per hanc Rubricam regula servanda tradatur cum in exequiis, tum in Anniversario Summi Pontificis, eadem tenenda est, neque

licet pro arbitrio praescriptae aliam sufficere Missam, ac diversas Orationes recitare.

11) In quatuor tempor.

(Dies.)

Vd. *Annivers.* (dies ad libitum); *Annivers.* (alia missa etc. decr. n. 4237.)

Ad dubium: an Anniversaria, quae ex diversorum testatorum voluntate sunt a Capitulo Cathedr. Wilnen. praesertim circa singula quatuor anni tempora in cantu celebranda, absolvi possint in festo dupl. maj. per annum, non tamen de praecepto etiamsi dies ille non sit vere dies anniversarius defuncti? S. C. resp.: Affirmative. n. 4237 ad 1 die 22. Dec. 1753.

12) Quod est?

Ad dubium: an sub nomine Anniversarii intelligi debeat sola missa cantata de requie, vel etiam illae missae privatae de Requie, quas Testatores sibi relinquunt celebrandas pro suffragio in die anniversario eorum obitus et an occurrendo similia Anniversaria debeant celebrari dictae missae privatae de Requie? S. C. resp.: Anniversarium constat tantum missa de requie cantata; alias missas non complectitur; et ideo in dupl. sunt dicendae de festo occurrente et applicandae juxta mentem Benefactorum. n. 2919 ad 3 die 6. Apr. 1680.

ORDINIS CARMELITARUM EXCALCEATORUM.

Quum Prior Coenobii Ordinis Carmelitarum Excalceatorum S. Mariae de Victoria in Urbe S. R. C. pro opportuna solutione proposuerit sequentia dubia, nimirum:

1. Utrum quum ex Testamento legatur Anniversarium, vel Anniversarium Solemne, per hoc unum praecise nomen Anniversarii, vel Anniversarii Solemnis, intelligendum sit onus Missae Solemnis dumtaxat, an Officium etiam

Defunctorum cum tribus Nocturnis cum Laudibus, quando per Testamentum id expresse non jubetur?

2. Utrum quando a Testatore simpliciter legatur Officium, intelligendum sit totum Officium Defunctorum, id est, Vesperas, et tria Nocturna cum Laudibus, an potius unum dumtaxat Nocturnum conveniens diei, in quem incidit Anniversarium una pariter cum Laudibus? S. eadem C. in Ordinariis Comitii hodierna die ad Vaticanum habitis, audita infrascripti Secretarii relatione respondendum censuit:

Ad 1. „Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.“

Ad 2. „Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.“

Atque ita rescipit. n. 5212 die 21. Julii 1855.

Cf. *Missa de Req. cantata ex devotione* (decr. n. 4765).

13) Sacerdotis defuncti.

Vd. *Missa de Req. in die Obitus + Sacerdotis.*

14) Cor. expos. SSmo.

Vd. *Missa de Req. de die obit. cor. SSmo.* (decr. n. 5086.)

15) Solemne vot. ex fundatione.

Vd. *Missae* (non sunt duae cantandae etc.); *Missae duae.*

Cum missae sol. annivers. de festivitibus SSrum. in majori Cathedralis Gadicen. altari, praesente toto capitulo, celebrentur, quaeritur: num hae missae sol. celebrari possint occurrente festo dupl. et maxime, quia tunc casus, si celebrentur, datur, quod de eadem festivitate eodem die duae missae sol. in eodem principali altari dicantur? S. C. resp.: In casu de quo agitur, duplex de eodem occurrenti sol. festo cantabitur missa, una videlicet pro fundatione post Primam altera conventualis post Tertiam. n. 4227 ad 3 die 26. Aug. 1752.

16) A quo tempore computandum?

Vd. *Anniversarium transl.*, (dies; decr. n. 5220.)

Ad dubium: Utrum Anniversarium computari debeat a die ipsa obitus, vel a sequenti, si mors sequatur post occasum solis, vel ante mediam noctem?

Et S. R. C. . . respondendum censuit: „Posse computari a die ipsa obitus, vel a sequenti, juxta diversam Ecclesiarum consuetudinem.“

Atque ita rescipit ac servari mandavit. n. 5220 ad 3 die 21. Julii 1855.

17) Translatio.

(Vd. *Oratio in Annivers.*)

Capitulum Collegiatae Castri Arquati tenetur ex dispositione qualibet die lunae aut veneris cujuslibet mensis non impedita celebrare Anniversarium J. B. Bagarotti, et alium anniversarium die 2. Mart. cujuslibet anni pro † Taxi; cum dicta dies 2. Martii aliquando occurrat die lunae vel veneris, quo celebrandum est Anniversarium Bagarotti, utrum possit transferri illud pro Taxi, praecipue cum in eadem Collegiata ultra dictum Anniversarium celebretur etiam missa conv. et habeatur s. concio? S. C. resp.: In casu, de quo agitur, transferri Anniversarium Taxi in diem proxime sequentem non impeditam. n. 2977 die 28. Febr. 1682.

18) Translatum.

Missa de Req. cantata (ex devotione).

a) Dies.

Anniversaria perpetua in die obitus quotannis celebranda, si contingat transferri ultra aliquas octavas privileg., non possunt celebrari in dupl. maj. n. 3604 ad 3 die 3. Dec. 1701.

Ex Indulto Fratres Ord. Carmelit. Berdiczaviae Dioec. Kiovensis in fer. 2. cujuslibet hebdom. etiam occurrente officio dupl., non tamen 1. vel 2. cl.

et festis de praecepto, celebrare possunt Anniversaria translata. n. 4380 die 1. Mart. 1777.

Ad dubium: 1. Utrum Anniversaria pro Defunctis ad instantiam vivorum, si cadant in diem impeditam, transferri possint?

2. Et quatenus negative, utrum dies anniversarius computari possit a die depositionis, si dies anniversaria ab obitu sit impedita?

3. Utrum Anniversarium computari debeat a die ipsa obitus, vel a sequenti, si mors sequatur post occasum solis, vel ante mediam noctem?

Et S. R. C. ... respondendum censuit:

Ad 1. „Transferri debere ad diem non impeditam Festo duplici.

Ad 2. „Negative juxta Decretum in Curien. diei 16. Junii 1700.“

Ad 3. „Posse computari a die ipsa obitus, vel a sequenti, juxta diversam Ecclesiarum consuetudinem.“

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. N. 5220. Die 21. Julii 1855.

BRIXIEN.

Ad dubium: An Anniversaria occurrentia in diebus Festivis, aut impeditis, a Testatoribus tamen non designata, transferri valeant ad aliam diem, in qua occurrat Officium ritus duplicis minoris, in eaque praeter Officium, etiam Missa *de Requie* decantari possit, ut in Anniversario. S. C. resp.: „Posse juxta Decretum in una Papien. diei 17. Martii 1629, sed pendendum Indultum.“ n. 4694 ad 1 die 28. Julii 1832.

b) Missa.

(Vd. *Oratio in annivers.*)

Si Anniversarium anticipetur aut postponatur per aliquos dies, potest dici missa ut in anniversario. n. 3477 ad 16 die 5. Julii 1698.

In anniversariis defunct. ob aliquod impedimentum a proprio die translatis,

quaeveris dicatur missa, sive ut in anniversario sive ut in quotidianis, verba in oratione: *cujus anniversarium depositionis diem commemoramus etc.* non sunt varianda. n. 4237 ad 2 die 22. Dec. 1753.

ANNULUS.

1) Canonicorum, Protonot., Dignitar. etc.

Vd. *Usus Pontifical.* (decr. n. 4593 ad 8; n. 4882 etc.) *Protonotar. apost.* (missa).

Ad dubium: An prohibitio circa delationem annuli, quando Protonotarii celebrant, comprehendat etiam Canonicos Cathedralis? S. R. C. resp.: „Affirmative.“ n. 780 die 20. Novbr. 1628; n. 863 die 22. Junii 1630.

De rigore uti non debent Canonici annulo aureo in missa celebranda. n. 2241 ad 11 die 4. Aug. 1663.

Non licere Protonot. apostolico Baren. inter celebrandum deferre annulum in digito. n. 2676 die 3. Martii 1674.

Praepositus alicujus Ecclesiae non potest tuta conscientia etiam attenta immemorabili consuetudine uti annulo, nisi constituto sibi de speciali Sedis ap. indulto. n. 1834 die 4. Aug. 1657.

Canonicis permitti non debet celebrare missas cum annulo lapide pretioso ornato. n. 3597 ad 8 die 10. Sept. 1701.

Prior Ecclesiae commendatae Aquae Sextiae non potest celebrare cum annulo cum gemma sine speciali indulto. n. 3679 ad 2 die 12. Apr. 1704.

Ad dubium: an Dignitates et Canonici Metrop. Urbinaten. uti possint annulo, cruce pectorale cum gemmis, caligis et sandaliis, chirotecis praesertim auro ornatis? S. C. resp.: Affirmative juxta modum; modus est, quod in missis sol. decantandis solus Celebrans uti possit enunciatis indumentis auro non ornatis, nec non annulo cum unica gemma et cruce pectorali

sine gemmis et amplius. n. 4224 ad 1 die 29. Jan. 1752; n. 5209 ad 1 et 6 die 21. Junii 1855.

S. SEVERI.

Quum a s. m. Pio Papa VII. Canonicis, quibus conceditur usus Pontificalium, uti ex Brevi eruitur, concedatur et usus Annuli, quaeritur: an eodem Annulo uti debeant etiam dum celebrant, vel Pontificalibus assistunt? Si praeter hos casus adhibere valeant Annulum cum gemmis? Tandem: an id, quod statuitur pro Canonicis, servari etiam debeat pro aliis, qui Canonicali Dignitate non cohonestantur, ut sunt Parochi?

Et S. eadem C. ... respondendum censuit:

„Exhibeat exemplar authenticum Litterarum Apostolicarum in forma Brevis s. m. Pii Papae VII.“ n. 4752 ad 2 die 23. Maji 1835.

2) Doctoris.

Ad dubium: Utrum Sacerdotes, qui gradus sunt assecuti in aliqua Academia, vel Universitate facultatem tribuente gestandi annulum, hoc gestare queant in digito, sicut Praelati gestant?

Et S. eadem C. ... rescribendum censuit.

„Permittitur, praeterquam in Eccl. Functionibus juxta alias decreta.“

Et ita rescripsit, ac servari mandavit. n. 5035 ad 6 die 23. Maji 1846.

3) Episcopi.

a) Quis imponit?

Ad dubium: an prima Dignitas Episcopo parato s. paramentis teneatur imponere annulum ad formam Caeremonialis? S. C. resp.: Servetur Caerem. lib. I. c. 7 n. 1. n. 3623 ad 3 die 18. Mart. 1702.

b) Quot?

Unus tantum datur Episcopo Annu-

lus in Caeremoniali. n. 2381 ad 1 et 2 die 18. Sept. 1666.

4) Nuptialis.

Vd. *Bened. Annuli Nuptiar. secundarum.*

ANNUNCIATIO B. V. M.

1) Missa licita.

Vd. *Annunciatio* (Transl.; decr. n. 3893; 4526.)

Canonicis Cathedr. Camerin. petentibus, an ipsis liceret plures missas celebrare fer. V. in Coena Dom., in qua festum ss. Annunt. B. V. M. incidat? S. C. resp.: Licere et jussit ut a Cardinali Vicario singularum Ecclesiarum Urbis Rectoribus idem notificetur. n. 2040 die 20. Mart. 1660.

2) Missa non licita.

Cf. *Annunt.* (Transl. decr. n. 3202; 3274.)

Si festum Annuntiationis B. V. M. venerit fer. V. vel VI. hebd. maj. seu Sabb. s. aut in Dom. Resurrectionis vel duobus sequentibus diebus nec in sacra domo Lauretana nec in Civitate dictis diebus etiam clausis januis Missam de B. V. M. celebrare licitum est. n. 308 ad 2 die 9. Maji 1606.

In Ecclesia Monialium Ordinis s. Benedicti sub Invocatione SS. Annuntiationis occurrente in fer. 3. hebdom. maj. non licet celebrari missam sol. de festo praedicto. n. 3466 die 15. Mart. 1698.

Occurrente Festivitate Annuntiationis B. V. M. in aliqua Dominica Quadrag. non fit de Annunt. nisi in Ecclesiis *Titularibus* (dedicatis Annuntiationi). n. 461 die 1. Sept. 1612.

Non licet in dominica Palmarum celebrare missam sol. de Annuntiatione B. V. M. ratione Concursus. n. 1816 die 10. Mart. 1657.

3) Translatio.

Cf. *Episcopus* (vestis; decr. n. 3809). S. *Benedictus*; *Missa priv. in Coena Dom.*; S. *Joseph*; *Sabb. s.* (missa priv.)